

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Critica De Capitibus Vltimis IX - XIII.
Posterioris Epistolae Pavli Ad Corinthios Ab Eadem Haud
Separandis**

Gabler, Johann Philipp

Goettingae, [1782]

VD18 11725516

§. II. Hypothesis prima enarratur et diiudicatur.

urn:nbn:de:gbv:45:1-14981

nequaquam intelligi. Quae vero calumniae quo minus ad *primam* legationem Titi spectare existimentur, obstare *tum* supra iam notatam perfectam similitudinem formularum loquendi C. VIII, 17-18. obuiarum, quae de *secundo* itinere Titi modo intelligendae sint; *tum* laudum illarum copiam C. VII, 7-16. cum calumniis istis Corinthiorum prorsus non conciliandam. —

Denique Apostolum C. XIII, 1. scribere: ΤΡΙΤΟΝ ΤΕΤΟ ΕΡΧΟΜΑΙ ΠΡΟΣ ΥΜΑΣ. Sed Paullum *bis* tantum Corinthi fuisse, Act. XVIII, 1. et XX, 2. Sin vero ερχεσθαι de *litteris* accipia-
tur; *duas* modo has epistolas ad Corinthios extare. Quid igitur illud τριτον ερχομαι?

§. II.

Hypothesis prima enarratur et diiudicatur.

Quae itaque sententiarum Paullinarum difficultates, siue omnes siue quaedam saltem, (nam non omnes ab antiquioribus philologis iam obseruatae fuerunt) cum plura ingenia exercebant; *duo* potissimum inde nati sunt modi soluendi perplexos hos nodos, et quae repugnantia viderentur componendi. Quorum prior isque potior hic est: A Cap. Xmo inde incipere nouas literas, quas Paullus post hanc posteriorem epistolam, accepto quippe a Tito nouo atque ingrato nuncio de nouis turbis, flagitiis, atque criminationibus Corinthio-

thiorum, ad eosdem dedisset: has vero literas posthaec ab ipsis Corinthiis vna cum illis ad ecclesias Achaicas missis posteriori huic epistolae fuisse adiunctas. — Omnes quidem difficultates §. I. recensitae, haud diffiteor, assumpta hac hypothese felicissime tolluntur. Nam si hoc segmentum secundo itinere Titi posterius fuit, facile intelligimus, quomodo, dono illo publico a Tito iam procurato, Paulus a simulatis Christianis, moribus et disciplinae Apostoli insidiantibus, apud Corinthios in invidiam adduci potuerit, tecto hoc modo per legatos suos quasi expilare eos se velle, nec tantam pecuniae vim, quam Titus Corinthi et in vniuersa Achaia coëgisset, ad Palaestinos delaturum, sed in suos vsus potius haud parum corrogati aeris retenturum esse. Nec, si Titus Apostolum de sinistro hoc rerum suarum progressu Iudaeorumque obtreccionibus certiore fecisset, mirum videri posset, Paullum, postquam mutatum erga se maleuolis Christianorum simulatorum studiis Corinthiorum animum intellexisset, atque quantum Iudaei illi laruati apud Corinthios valerent, quantumque auctoritatem ipsius apostolicam imminuerent, cognouisset, acerbiori animo epistolam illam vltimis his capitibus contentam scripsisse, vehementiusque in Corinthios efferbuisset. Posset denique summa etiam similitudo horum capitum cum argumento prioris epistolae §. I. iam significata commode admodum ex hac hypo-

thesi explicari: etenim si post literas posteriores ad Corinthios tota illius ecclesiae facies immutata fuisset, pristinaque morum corruptio, quam in priore epistola acriter notauerat, rediisset, non potuisset non Apostoli quoque feueritas redire. Et quamuis hic argumenti vtriusque concentus atque ipsius iterum epistolae posterioris dissensus ex transpositis vtriusque epistolae foliis facillime quoque hoc modo explicari possit, vt folia nonnulla epistolae prioris casu, nescio quo, ad calcem posterioris transiisse statuatur; faciliorem tamen minusque violentum conciliandi modum putant hunc: Paullum hanc partem posterioris epistolae a Cap.X. inde pergentem, siue ceu peculiarem scidam s. epistolam, siue ceu *adpendicem* illius tantum, (quae posterior ratio huius hypotheseos fautoribus praefenda videtur,) dimissa iam posteriori epistola ipsa, quae prioribus octo capitibus contineatur, ad Corinthios dedisse: vnde simul adpareat, quomodo Apostolus in *tertia* hac epistola scribere potuerit: (C.XIII, 1.) *τρίτον τῆτο ἐρχομαι πρὸς ὑμᾶς.*

At enim uero vt transeam nonnulla, quae supra (Sect. I. §. 2.) iam monita sunt contra similem hypothesein de C. IX. stabilitam, v. c. de foliis vel maioribus particulis non temere separandis aut transponendis, nisi certa et vere critica adsint pristini loci indicia; quaeue praesertim contra eam opinionem valent, qua vltima haec
epi-

epistolae posterioris capita ob simile argumen-
 tum ad priorem transferenda iudicantur: eam
 potius attingo huius hypotheseos partem, qua
 Paullus ipse censetur haec segmenta a C. Xmo
 inde vsque ad finem epistolae non ceu singu-
 lares literas, sed tamquam *adpendicem* poste-
 rioris epistolae iam dimissae ad Corinthios de-
 disse. Occurritur quidem hac opinione multis
 dubiis, quae contra hanc partem *praeter* omne
consilium Apostoli epistolae posteriori *adiunctam*
 moueri possent, si Paullus scilicet hanc parti-
 culam ceu peculiarem et *separatam epistolam* ad
 Corinthios misisset. Verumtamen aequo iure
 de eo dubitare licet, an Apostolus has literas
 tamquam solam epistolae posterioris *adpendicem*
 ad Corinthios dare potuerit. Quid esset, quod
 Paullus schedulam post scriptam prioribus lite-
 ris argumento adeo *dissimilem* (*κατ' ἀνθρώπων* dico)
adpendicem iisdem decerneret? Forfan vero in
 capiendo hoc consilio apud Apostolum *brevitas*
 schedulae vicit argumenti ipsius similis an diffi-
 milis rationem? At tot aliae exstant Paulli
 epistolae multo breuiores: quare igitur hae se-
 paratae existunt? Cur e. g. Thessalonicenses
 vtrasque Apostoli literas ad se datas et argu-
 mento et tempore simillimas non in vnum vo-
 lumen coegerunt? Nulla igitur ratio idonea,
 si argumento inuicem disiuncta habeantur hu-
 ius epistolae segmenta, consilii illius, quod
 Paullus ceperit, adparet. Ceterum id quam
 lubentissime largior, si C. XIII. pro adpendice

fit habendum, hanc iam a Cap. Xmo incipere censendam esse. Quae enim mutati Apostoli in Corinthios animi vestigia C. XIII. deprehenduntur, ea iam conspiciuntur C. XII, 20. Si vero inchoare velis nouam hanc epistolam verbis C. XII, 14. ἰδὲ τρίτον ἐτοιμῶς ἔχω κ. τ. λ. eundem tamen animum Apostoli video C. X, 9-11. —

Quod autem verba C. XIII, 1. ad nouam hanc epistolam detorqueantur, vt taceam, de *litteris* hunc locum omnino non intelligendum esse, quod infra demonstrabitur prolixius, miror sane, viros doctos, quae ad 1. Cor. V, 9. recte monuissent ipsi, h. l. penitus oblitos esse, aliam scilicet epistolam ad Corinthios primam nostram praecessisse e), ideoque priorem no-

stram

e) Vere praecessisse priorem epistolam ad Corinthios aliam iam deperditam, quicquid b. STOSCH in libr. *de epistolis apostolorum non deperditis* contra dixerit, eamque 1. Cor. V, 9. innui, (vt quaestionem hanc criticam breuiter discutiam) intelligitur non solum ex eo, quod ante hoc Cap. Vtum nulla conuersationis cum *παιδοις* deuitandae mentio fit, atque Apostolus hoc ipso capite sententiarum suarum male iam intellectarum ambiguitatem tollere studet, (cf. ill. MICHAELIS Einleit. in d. Schriften d. N. B. ed. nou. p. 1036-1037. et MOSHEMII Erklaer. d. ersten Briefs an die Corinthier p. 297.) ipsaque denique formula *ἐν τῇ ἐπιστολῇ*, si hac de re in eadem epistola iam egisset Apostolus, prorsus superflua foret; sed etiam *tum* ex opposito *νυν* v. 11. quod referendum est ad illam *ἐπιστολὴν ἀντὶ* ad ipsos missam, *tum* ex potestate formulae

stram proprie esse *secundam*, ac posteriorem *tertiam*. Si igitur Apostolus aliam adhuc post

C 5

hanc

εν ΤΗ ΕΠΙΣΤΟΛΗ in loco simillimo 2. Cor. VII, 8. quae ibi necessario intelligenda est de *priori* epistola, vnde et Apostolus in eod. versu substituit alteram: ἡ ΕΠΙΣΤΟΛΗ ΕΚΕΙΝΗ, tum denique ex 2. Cor. X, 9-11. vbi Paullus expressis verbis plures επισολας ad Corinthios datas commemorat; cum tamen ex canone nostro *vna* tantum praecessisse censenda esset (quod quidem argumentum apud eos valere non potest, qui nouam aliquam a secunda nostra separatam epistolam a Cap. Xmo inde inchoari praecipiunt). — *Plures* vero apostolorum literas periisse, in aprico est. Quis enim sibi persuadeat, tot Apostolos, quorum nulla in canone nostro scripta extant, nihil omnino, ne epistolas quidem scripsisse; quorumque aliquot epistolas in canone habemus superstites, eos non scripsisse *plures*? Num existimemus, Paullum pro omnibus apostolis scripsisse vnum — Paullum, qui *εις τα μετρα* nunquam exspatiaretur, sed intra *το μετρον τ. κανονος* continere se et suo modulo ac pede metiri (2. Cor. X, 12-13.) didicisset? Paullumque ipsum, a quo plurimas quidem habemus, at omnes intra decennium A. C. LII-LXII. conscriptas, credamus neque hoc ipso interuallo plures, neque ante hoc decennium intra integrum XVI. annorum spatium A. C. XXXVI-LII. vllam exarasse? Vnde quaeso copia illa dicendi, et natua dictionis elegantia in scriptis Paullinis? vnde insignis, quam mirantur omnes, literarum conscribendarum facultas? — Hanc vero de prima epistola Paulli ad Corinthios *deperdita* sententiam nec temerariam esse, nec monstri quid alere abunde satis demonstrat assensus CALOVII, BENGELII, MOSHEMII, CARPZOVII, aliorumque virorum celeberrimorum, quorum prolixum catalogum

hanc posteriorem epistolam ad Corinthios dedisset, *quarta* haec fuisset, nec tertia; atque

Apo-

logum suppeditat laudatus CARPZOVIVS Ven. in *praef. ad nouam edit. duarum epistolarum apocrypharum Corinthiorum ad Paulum et Pauli ad Corinthios*, p. 17. quibus addes SEMLERVM Ven. in *paraphr. epist. I. ad Corinth.* p. 121. et b. ZACHARIAE in *paraphras. eiusd. epist.* p. 37. — Neque vero epistolam illam ad Corinthios ex Cod. Massoniano a WILKINS editam, neque vberiore alteram ex integro MSto Armenico a WHISTONIIS, patre ac filio utroque, vulgatam atque a CARPZOVIO Ven. repetitam, genuinam illam Paullinam esse, et res ipsa docet et harum rerum periti iudicant omnes. Qua de re conferas modo praeter MOSHEMII *Commentar.* p. 296-297. solidam et concinnam disquisitionem CARPZOVII Ven. in supra laudata praefatione. — Perit igitur haec epistola, quod facile ei accidere poterat, cum argumenti esset mere historici, et ad Corinthios vnicè pertinèret. Somniabat quidem LIGHTFOOT et post eum POLEMAN, primam hanc epistolam, quamvis non integra exstet, singulis tamen illius partibus passim sparsis in epistola priori ad Corinth. superstitem esse; at copiose refellit hanc opinionem Ven. WINKLER in *animadu. philol. et crit.* p. 281 sqq. Quorsum enim deferremur, si sententias Apostolorum, quae e textu nostro optimo nexu inter se cohaerent, tam violenter dissecare liceret? Aeque inepte opinatur VAN TILL, posteriorem epist. ad Thessalonic. esse illam epistolam I. Cor. V, 9. laudatam. — Quando vero deperdita illa epistola scripta fuerit, non constat: poterat per Timotheum afferri, ut domestici Chloës nuncium referrent; et vero poterat, cum Paullus quatuor annos Corintho abfuisset, Timothei iter longe superare. —

Apostolus, si literarum feriem ac numerum h. l. voluisset significare, scripsisset: ΤΕΤΑΡΤΟΝ (non τρίτον) τέτο ερχομαι προς υμας. — Itaque hanc opinionem suis haud carere difficultatibus satis intelligimus: neque vero illa opus esse ad coniungendas inuicem partes huius epistolae infra docebitur. —

§. III.

Altera hypothesis enarratur et refellitur.

Altera hypothesis, quae vero ad solum C. XIII. spectat, auctorem habet STEPH. LEMOYNE f). Cuius quidem Viri opinionem male

f) In *Variis Sacris* T. II. p. 332-343. ad locum Polycarpi in epist. ad Philippenses C. 3. vbi de Paulo ille inquit: ὅς καὶ ἀπὸν ὑμῖν ἐγράψεν ΕΠΙΣΤΟΛΑΣ. At *unica* tantum in canone nostro exstat Pauli ad Philippenses epistola; nec plurimum apud vllum antiquioris aevi scriptorem mentio fit. Quid ergo est, quod Polycarpus ἐπιστολας Pauli ad Philipp. commemorat? Plerique h. l. admittunt enallagen numeri pluralis pro singulari, quae hac praesertim in re fit omnium temporum omniumque locorum. Sic IUSTINO domesticum est, *epistolas* dicere pro *una* epistola; eodemque sensu occurrit vox ἐπιστολαι apud Eusebium H. E. l. VI, c. II. 43. id quod vniuersalis etiam loquendi consuetudo recentiorum populorum confirmat; ita enim nos in vernacula lingua dicere solemus: Ich habe *Briefe* von ** erhalten, etiamsi vnam modo epistolam accepimus. Quem igitur explicandi modum etsi ego quidem praetulerim, ne-